

corpus animalis statim resolvitur in elementa, sed hoc fit per multas corruptiones, succedentibus sibi in materia multis formis imperfectis, sicut est forma corporis mortui et postea putrefacti » (1).

Oppon. 6.^o In cadavere remanent eadem accidentia. Ergo remanet eadem forma substantialis.

Resp. Dist. ant. Remanent eadem accidentia, quae consequuntur materiam secundum ordinem, quem habet ad formam generalem, *Conc.* Secundum ordinem, quem materia habet ad formam specialem, *Neg.* et *Neg. cons.* Adde quod illa accidentia non sunt eadem numero, cum substantia sit mutata: quare caro et oculi, ut ait Philosophus, dicuntur aequivoce de vivo et mortuo, sicut oculus pictus vel lapideus et verus oculus.

ARTICULUS VI.

AN ET QUOMODO ANIMA RATIONALIS MULTIPLICETUR
IN SINGULIS HOMINIBUS (2).

QUAESTIO DEFINITUR. Duo in hoc articulo inquirenda veniunt, ut patet ex ipso titulo. Principio quidem quaeritur, an anima intellectiva, quae corpori humano unitur ut forma substantialis, sit una in omnibus individuis naturae humanae, vel multiplicetur in singulis individuis. Haec quaestio nullam patitur difficultatem: omnes quippe intelligunt, formam substantialem, quae in individuis est principium essendi et unitatis, non posse diversa et multiplicia entia constituere, nisi et ipsa multiplex sit et multiplicata secundum multitudinem individuorum; si enim una esset, unum ens constitueret, et omnes homines non essent nisi unus homo. Ceterum commentum phantasticum Averrois somniantis, dari in omnibus hominibus unicum intellectum seu animam intellectivam, abunde refutatum fuit a S. Thoma (3). Insuper damnatum fuit ut haereticum a Concilio Lateranensi sub Leone X huiusmodi decreto: « Hoc approbante sacro Concilio damnamus et reprobamus omnes asserentes, animam intellectivam mortalem esse, aut unicam in cunctis hominibus, et haec in dubium vertentes; cum illa non solum vere, per se, et essentialiter humani corporis forma existat, ... verum et immortalis, et pro corporum quibus infunditur

(1) *De generat.* lib. I, lect. 8.

(2) De hac re cf. S. THOM. 1 p. q. 76, a. 2; *Contra gent.* lib. II, cap. LXXIII et seq.; *QQ. DD. De Anima*, a. 3 et alibi passim.

(3) Cf. S. THOM. *Opusc. De unitate intellectus contra Averroistas.*

multitudine singulariter multiplicabilis, et multiplicata, et multiplicanda sit » (1).

Verum alia multo salebrosior obscuriorque exurgit quaestio, quae ultro citroque inter ipsos Scholasticos agitata est, quaeque versatur circa rationem et modum ipsius multiplicationis et distinctionis animarum, ut vera assignari possit causa, cur animae humanae numero multiplicatae omnes pertineant ad eandem speciem, proindeque in ipsis detur distinctio ac divisio numerica, quin secum afferat specificam divisionem. Qua in re certamen potissimum est inter S. Thomam et Scotum; nam Angelicus docet, animam individuari et multiplicari numerice per suam essentiam dicentem ordinem transcendentalem ad corpus, in quo tamquam in subiecto informationis, non vero sustentationis recipit esse, cum sit forma subsistens et incompleta in specie. Scotus ex adverso iuxta suam de individuatione doctrinam profitetur, animam humanam individuari sua propria *haecceitate* (2). Nos ad peripateticam S. Thomae doctrinam hac super re aperiendam, utramque quaestionem unica hac complexetum propositione.

PROPOSITIO.

Anima humana non est unica in cunctis hominibus, sed pro corporum quibus infunditur multitudine singulariter multiplicata. Licet sit forma per se subsistens et individua; nihilominus cum non subsistat in specie completa, ordinem transcendentalem dicit ad corpus; ideoque « quod sit unibilis huic aut illi corpori, multiplicat animam secundum numerum, non autem secundum speciem » (3).

Prob. 1.^a pars. Cum anima sit forma substantialis corporis, quilibet homo ab ea habet, quod sit ens actu et unum per se, idest indivisum in se et divisum a quolibet alio. Sed si anima esset una in cunctis hominibus, non posset esse principium formale, quo unus homo dividitur ab alio, uti patet; quia tunc omnium esset unum esse, ideoque omnes homines essent unum ens actu. Ergo repugnat, dari unicam animam communem omnibus hominibus, sicut repugnat dari unicum esse formale omnium hominum. Argumentum sic proponitur a S. Thoma: « Ab eodem aliquid habet esse et unitatem; unum enim et ens se consequuntur. Sed unumquodque habet esse per suam formam; ergo et unitas rei sequitur unitatem formae. Impossibile est igitur diversorum individuorum hominum esse formam unam.

(1) Sess. 8, Canonice, *Apostolice regiminis.*

(2) Cf. SCOT. in 2. *Sent. Dist.* 3, q. ultima. De hac quaestione dignus est qui consulatur CALETANUS, in *Opusc. De ente et essentia*, cap. VI, q. 13.

(3) S. THOM. *QQ. DD. De Anima*, a. 3 fine.

Forma autem huius hominis est anima intellectiva. Impossibile est igitur omnium hominum esse unum intellectum » (1).

Prob. 2.^a pars. Arg. 1.^o Anima humana in sua essentia recipit esse absolute et independentem a corpore, cum sit forma subsistens. Atqui esse non recipitur, nisi in subiecto singulari, cum universalis non subsistant in se. Ergo anima humana est singularis et individua per suam essentiam.

Arg. 2.^o In formis simplicibus et subsistentibus quidditas simplicis est ipsum simplex, idest in huiusmodi formis substantia seu res naturae et quidditas sunt unum idemque. Atqui anima humana per se subsistit, idest habet esse per se et non per compositum. Ergo per suam essentiam est subiectum essendi, ideoque singularis et individua. Propositio maior luculenter evolvitur a S. Thoma (QQ. DD. De pot. q. 9, a. 1).

Prob. 3.^a pars. Ad cuius probationem haec praedicenda censemus, ut melius intelligatur id de quo ambigimus. Ad rationem subsistentis, uti saepe meminimus, duo potissimum necessaria sunt, nempe quod possit per se existere, et quod sit aliquid completum in aliqua specie (2). At si animae humanae prima conditio concedenda est, profecto secunda conditio ipsi minime tribui potest, non quod eius esse sit incompletum, sed quod eius essentia non constituat integram speciem. Quocirca anima humana per suam essentiam et est subsistens, et ordinem dicit ad corpus, cui communicat esse, ut possit subsistere in specie completa; ita ut anima per suam essentiam dicat commensurationem, ordinem, et coaptationem ad corpus; et haec anima commensuratur huic corpori, cum proprius actus in sua propria potentia recipiatur oporteat.

His notatis, sic concluditur ratio. Id quod est principium unitatis non potest sub eodem respectu esse principium multiplicatis. Atqui forma, prout est forma, est principium unitatis specificae. Ergo anima, si esset forma complete subsistens, non posset multiplicari numerice in eadem specie. Atqui multiplicatur de facto. Ergo multiplicatur, quia licet sit forma subsistens; nihilominus ob suam incompletam subsistentiam est unibilis huic vel illi corpori. In re quae tam difficiles habet explicatus praestat ipsa verba S. Thomae huc transferre, qui disserens de multiplicatione animae intellectivae haec habet: « Si aliquid, quod sit de ratione alicuius communis materialem multiplicationem recipiat, necesse est, quod illud commune multiplicetur secundum numerum, eadem specie remanente . . . Manifestum est autem, quod de ratione animae humanae est quod corpori humano sit unibilis, cum non habeat in se speciem completam, sed speciei complementum sit

(1) *Contra gent.* lib. II, cap. LXXIII initio.

(2) Cf. S. THOM. 1 p. q. 75, a. 2 ad 1; QQ. DD. De Anima, a. 1.

in ipso composito. Unde quod sit unibilis huic aut illi corpori, multiplicat animam secundum numerum, non autem secundum speciem; sicut et haec albedo differt ab illa numero per hoc quod est esse huius vel illius subiecti. Sed hoc differt anima humana ab aliis formis, quod esse suum non dependet a corpore; nec hoc esse individuum eius a corpore dependet » (1).

Nimirum cum multiplicitas res actu diversas denotet, si multiplicatio procedit a forma prout est forma, habetur diversitas specifica, idest species multiplicata. Verum si diversitas oritur a forma, non prout est forma, sed prout est huic receptivo commensurata, tunc habetur diversitas secundum numerum. « Non quaelibet formarum diversitas, ait Aquinas, facit diversitatem secundum speciem, sed solum illa quae est secundum principia formalia, vel secundum diversam rationem formae; constat enim, quod alia est essentia formae huius ignis et illius, nec tamen est alius ignis et alia forma secundum speciem. Multitudo igitur animarum a corporibus separatarum consequitur quidem diversitatem formarum secundum substantiam, quia alia est substantia huius animae et illius; non tamen ista diversitas procedit ex diversitate principiorum essentialium ipsius animae, nec est secundum diversam rationem ipsius animae, sed est secundum diversam commensurationem ipsarum ad corpora; haec enim anima est commensurata huic corpori, et non illi » (2).

Quam ad rem cum anima humana participet aliquid de formis mere subsistentibus, et aliquid de formis mere informantibus, dici omnino debet, ipsam per essentiam esse subsistentem, et esse multiplicabilem numerice, quia eius essentia ita recipit esse in se, ut dicat ordinem transcendentalem ad corpus, cui illud communicat ad subsistendum in specie completa. Sapienter ergo affirmat Angelicus, individuationem numericam animae dependere a materia tamquam a termino ad quem quaevis anima commensurationem dicit; non tamquam a principio determinante animam ad esse singularis; ita ut anima dicatur humana, quia essentialiter ordinata corpori humano; dicatur haec anima, quia huic corpori essentialiter commensurata; multiplicetur numero in eadem specie, quia ut forma informans ordinem dicit ad proprium subiectum; nam quod anima sit in se indivisa, hoc a seipsa repetit, cum sit forma subsistens, nempe in se habens esse; sed quod sit divisa ab aliis tali divisione ex qua exurgat multiplicitas numerica sine differentia speciei, hoc habet a materia, cui commensuratur.

Occurrit difficultati. Ex dictis oriri posset haec difficultas: Si unitas et individuatō animae dependet ab hoc corpore, cessante eius

(1) QQ. DD. De Anima, a. 3.

(2) *Contra gent.* lib. II, cap. LXXXI.

unione cum hoc corpore, cessare deberet et eius individuatio, ideoque anima esset corruptibilis. Ad hanc difficultatem solvendam, notamus, in ea confundi essentialiter commensurationem huius animae ad hoc corpus cum eius actuali unione ad idem corpus. Ex commensuratione dependet unitas et individuatio animae; et haec commensuratio seu ordo remanet in anima etiam separata a corpore; non autem ex eius unione actuali ad materiam, cum materia relate ad animam, quae est forma subsistens, non sit causa individuationis, sed potius terminus; nam anima licet habeat esse in materia, non tamen habet esse per materiam ut formae materiales. Audi S. Thomam: « Quaecumque oportet esse invicem coaptata et proportionata, simul recipiunt multipliciter et unitatem, unumquodque ex sua causa. Si igitur esse unius dependet ab altero, unitas et multipliciter eius etiam ab illo dependet: alioquin ab alia causa extrinseca. Formam igitur et materiam semper oportet esse ad invicem proportionata et quasi naturaliter coaptata, quia proprius actus in propria materia fit; unde oportet, quod materia et forma consequantur se invicem in multitudine et unitate. Si igitur esse formae dependet a materia, multiplicatio ipsius etiam a materia dependet, et similiter unitas; si autem non, erit quidem necessarium multipliciter formam secundum multiplicationem materiae, id est simul cum materia, et proportionem ipsius; non autem ita quod dependeat unitas vel multitudo ipsius formae a materia » (1).

Quare concludimus cum Caietano, animas humanas distingui inter se propriis et substantialibus commensurationibus ad hoc vel ad illud corpus; quae commensuratio non sequitur animam humanam, ut fingunt Scotistae; sed eam humanam et hanc constituit; unde haec anima ab illa primo differt, quod haec est proprius actus huius corporis, illa vero illius. Quare anima cum ex sua definitione habeat, quod sit actus corporis physici organici, dividitur per hoc, quod sit actus talis vel talis corporis tamquam ex propria differentia (2). Verum quoniam anima habet esse superexcedens corporis capacitatem, sic illud habet independentem a corpore, et licet illud esse animae acquiratur in corpore, non tamen acquiratur ex corpore, nec per dependentiam ad corpus. Et hoc est quod ex Avicenna repetit S. Thomas, nempe individuationem animarum dependere a corpore quantum ad sui principium, non tamen quantum ad sui finem, et ita cessantibus corporibus, non cessat individuatio animarum (3).

Individuatio ergo animae humanae comprehendit explicari sane potest hac formula: Anima humana habet ut sit haec et individua

(1) *Contra gent.* loc. cit. initio.

(2) Cf. CAIET. in *Opusc. De ente et essentia*, cap. VI, q. 13.

(3) Cf. S. THOM. 1 *Sent. Dist.* 8, q. 5 a. 2 ad 6; *Opusc. De ente et essentia* cap. VI.

a sua essentia tamquam a causa et principio individuationis; a materia vero signata tamquam a receptivo seu a termino ad quem essentialiter commensurationem dicit, et in quo speciem completam acquirit. Doctrina haec est maxime accommodata tum ad explicandam animae independentiam a materia in essendo, quam communem habet cum formis separatis; tum eius multiplicationem numericam in eadem specie, quam communem habet cum formis materialibus; tum denique ad patefaciendam vanitatem Platonicae doctrinae de transmigratione animae ex uno corpore in aliud corpus, cum haec anima non dicat ordinem nisi ad hoc corpus.

SOLVUNTUR DIFFICULTATES.

Oppon. 1.^o Anima humana est substantia immaterialis. Atqui forma spiritualis et subsistens non multiplicatur numericè in eadem specie. Ergo anima humana cum non sit multiplex specie, neque est multiplex numero.

Resp. Dist. mai. Anima humana est substantia immaterialis dicens essentialiter commensurationem ad corpus propter incompletum suae speciei, *Conc.* Est immaterialis et subsistens in specie completa, *Neg. Contradist. min. et Neg. cons.* Ratio solutionis patet ex superius enucleatis in thesi (1).

Oppon. 2.^o Si animae multiplicentur ad multitudinem corporum, remotis corporibus, cessat multitudo animarum, nam remota causa remouetur effectus. Atqui animae seorsum a corpore existunt, cum sint immortales. Ergo.

Resp. Dist. mai. Remotis corporibus cessat multitudo animarum, si corpora sunt causa cur multiplicentur numero animae, et cur subsistant, *Conc.* Si tantum sunt causa cur animae multiplicentur numericè, *Neg. Conc. min. et Neg. cons.*

Explicio. S. Thomas sic nodum dissolvit: « Unumquodque hoc modo habet unitatem quo habet esse; et per consequens idem est iudicium de multiplicatione rei et de esse ipsius. Manifestum est autem, quod anima intellectualis secundum suum esse unitur corpori ut forma; et tamen, destructo corpore, remanet anima intellectualis in suo esse: et eadem ratione multitudo animarum est secundum multitudinem corporum, et tamen, destructis corporibus, remanent animae in suo esse multiplicatae » (2). Nimirum animae humanae non multiplicentur numericè ad multiplicationem corporum, quia habent esse in hoc corpore et per hoc corpus, ut formae materiales et corruptibiles; sed quia habent esse in hoc corpore ad quod substantialem

(1) Cf. S. THOM. 1 p. q. 76, a. 2 ad 1.

(2) Loc. cit. ad 2.

ordinem dicunt, licet superexcedant eius capacitatem. Unde individuatio animarum procedit ab earum essentia tamquam a principio et causa; a corpore vero tamquam a termino ad quem sunt commensurate, et quoniam superexcedunt capacitatem corporis, ideo separatae a corpore remanent in suo esse.

Oppon 3.^o Aptitudo animae ad essendum in corpore supponit animam singularem et *hanc*. Atqui si anima iam supponitur singularis antequam dicat aptitudinem, eius individuatio et multiplicatio non pendet ab ordine ad corpus. Ergo.

Resp. Dist. mai. Si haec aptitudo et ordo esset de genere accidentis, *Conc.* Si est de ipsa substantia animae, quae essentialiter dicit coaptationem ad corpus, *Neg. Conc. min. et Neg. cons.*

Explico. Argumentum assumit hoc falsum, scilicet quod natura huius animae sit prior aptitudine sua substantiali, cum e contrario aptitudo illa sit constitutum naturae huius animae (1); nam quod anima *haec* sit essentialiter ordinata ad hoc corpus, et *illa* ad aliud corpus non praexigit earum distinctionem, sed eam constituit et facit. Nec dicas cum Scotistis, aptitudinem illam denotare aliquam potentialitatem, et non aliquid actu, ideoque non posse constituere animam *hanc* et singularem. Nam cum haec aptitudo de qua loquimur nihil aliud sit, nisi substantialis commensuratio ipsius animae ad hoc corpus, planum est eam indicare aliquid in actu, non solum dum anima est corpori unita, sed etiam dum est a corpore separata.

ARTICULUS VII.

DE TEMPORE QUO ANIMA INTELLECTIVA PRODUCTA FUIT ET CORPORI UNITA.

QUAESTIO DETERMINATUR. Duo in hoc articulo investiganda veniunt, nimirum 1) an animae humanae existerint ab aeterno, vel saltem omnes creatae fuerint initio temporis, et postmodum in generatione singulorum hominum corporibus infusae, vel potius creentur successive, et illo ipso tempore, quo corporibus infunduntur. 2) Supposito quod tunc a Deo condantur cum singulis corporibus coniunguntur, inquirendum venit, an copulenter corporibus statim ac fetus aliqua opera vitae ediderit, vel postquam ad congruum organismum humani corporis pervenerit.

Sententiae philosophorum. Pythagoras, Plato, Origenes, Plotinus, Averroes. In primis occurrunt nobis philosophi nuper reci-

(1) Cf. CAIET. in Opusc. *De ente et essentia*, cap. VI, q. 13.

tati, qui omnes docuerunt, animas intellectivas existisse ante corpora; verum in re explicanda longe discrepant inter se. Pythagoras enim et Plato opinantur, animas intellectuales existisse ab aeterno, vitamque coelestem et beatam egisse in astris, sed post admissa ab ipsis quaedam scelera, fuisse in corpora tamquam in custodias carceresque detrusas. Plotinus, quem plurimi ex eius Schola sequuti sunt, docuit, animas ante corpora existisse, sed e coelesti vita ob desiderium materiae quo tenebantur, sponte in corpora dilapsas esse. Origenes consentit cum Platone in eo quod animas ante corpora existisse censuerit, et in corpora ob patrata delicta immisissas fuisse, licet animas a Deo creatas affirmaverit. En quomodo de Origene loquitur S. Thomas: « Origenes cum poneret, animas humanas a principio fuisse creatas, dixit quod ordinatione divina animae corporibus sunt unitae, sed in earum poenam: nam ante corpora eas peccasse existimavit, et pro quantitate peccati corporibus nobilioribus, vel minus nobilibus eas unitas esse, quasi quibusdam carceribus inclusas » (1).

Qui posuerunt, animas intellectivas esse immortales secundum aliquid unum, docuerunt, illud ipsum unum ab aeterno fuisse; sive sit intellectus agens, ut voluit Alexander; sive etiam possibilis, ut placuit Commentatori. In hoc errore de praesistentia animorum ante corpora caput habet ac stirpem pervulgatum illud commentum de transmigratione animorum ex uno corpore humano in alia corpora sive hominum, sive brutorum, sive etiam plantarum, quod sub nomine *metempsychosis* circumfertur, et quod ab Aegyptiis ad philosophos graecos Pythagoram, Platonem, Empedoclem manavit. Audi S. Thomam: « Omnes qui posuerunt, animas extra corpora creati, posuerunt transmigrationem animarum, ut sic exuta a corpore uno, alteri corpori uniretur, sicut homo exutus uno vestimento, induit alterum » (2). De hoc veterum philosophorum errore, quem nuper post Petrum Leroux aliosque e cineribus excitavit Reynaud (3), sic meminit S. Augustinus: « De hoc ludibrio quorundam philosophorum etiam eorum posteri ruberint, nec eos hoc sensisse, sed non recte intellectos esse dixerint » (4).

Leibnitius. Praesistentiam animorum, licet alia ratione, docuit etiam Leibnitius, iuxta quem animae omnes simul cum mundo a Deo conditae fuerunt et organici quibusdam corpusculis affixae; cum vero decursu temporis corpuscula illa evolvuntur fiuntque humana corpora, tunc constituuntur homines.

(1) *Contra gent.* lib. II, cap. LXXXIII; cf. S. August. *De Civ. Dei*, lib. XI, cap. XXIII.

(2) *QQ. DD. De pot.* q. 3, a. 10.

(3) *Terre et Ciel* (Paris, 1854).

(4) *De Gen. ad lit.* lib. VII, cap. IX.

Vera sententia. Communis doctrina philosophorum catholicorum tenet, animas intellectivas tunc condi ac creati a Deo, cum corporibus iunguntur. Sententia haec pertinet etiam ad doctrinam catholicam, ut patet ex libro *De Eccles. Dog.* cap. XVIII. in quo dicitur: « Simul anima creatur cum corpore », et ex decreto Concilii Lateranensis sub Leone X, in quo anima intellectiva dicitur pro corporum quibus infunditur multitudine singulariter multiplicabilis et multiplicata et *multiplicanda*.

De secunda quaestione duplex opinio. Circa secundam quaestionem duplex datur sententia, quae utro citroque defenditur. Prima propugnat, animam intellectivam a Deo creati corporique infundi statim ac fetus vivere incipit. Haec sententia plurimos sibi vindicat adstimulatores, inter quos agminatim recensendi sunt omnes philosophi qui compositionem substantialem ex materia et forma in corporibus inficiantur. Secunda sententia, quam post Aristotelem politiores Scholastici amplexari sunt, quamque Doctor Angelicus late explicat et defendit, eo redit, ut asserat, animam humanam tunc creati et corpori infundi, cum corpus, post diversas et successivas substantiales mutationes seu generationes, evectum sit ad debitum organismum corporis humani. Ut ergo ordine procedamus, duas statuemus propositiones, quarum prima errores eorum refutabit, qui animas ante corpora existisse somniarunt; altera dirimet secundam quaestionem, quae inter philosophos catholicos disputatur.

PROPOSITIO I.

Anima intellectiva tunc creatur a Deo, cum corpori infunditur; quo circa absurda est sententia, quae tenet, animas existisse antequam iungerentur corporibus (1).

Prob. prop. Arg. 1.^{um} Sententiae omnes, quae diversimode docent, animas longe ante corpora existisse, et postmodum fuisse in corpora detrusas, in eo fundamentum et radicem habent, quod supponant, animas esse substantias completas specie, ideoque non esse formas substantiales corporum, sed illis accidentaliter dumtaxat iugatas. Atqui a nobis iam probatum est, animas rationales esse ordinatas ad corpora substantialiter informanda, utpote partes speciei humanae, quae simul cum corporibus integram efficiunt speciem et substantiam. Ergo memoratae sententiae, praeter speciales absurditates, quibus singulae obnoxiae sunt, falso prorsus innituntur fundamento, quod nimirum unitatem substantialem in homine radicatus convellunt. Siquidem, ut

(1) De hac re cf. S. THOM. 1. p. q. 90, a. 4, et q. 118, a. 3; *Contra gent.* lib. II, cap. LXXXIII; *QQ. DD. De pot.* q. 3, a. 10.

errorem Platonis et Origenis una complectamur, si anima non est naturaliter ordinata ad corpus informandum, sed propter aliquid, quod ipsi somniarunt, flagitium in corpus tamquam in custodiam est detrusa, eius unio ad corpus dici omnino debet violenta, non naturalis; ideoque homo compositus ex anima et corpore est quid innaturale, quod est vehementer perspicueque absurdum.

Arg. 2.^{um} Quod a Deo immediate procedit, debet esse perfectum iuxta naturae ordinem. Atqui anima per se est substantia incompleta egens corpore ad complementum suae speciei acquirendum. Ergo Deus animas non condidit, nisi in corporibus, quibuscumque naturam speciemque completam efformant. Huc faciunt etiam ea omnia, quae de multiplicatione animarum per ordinem ad singula corpora paulo ante disputavimus; nam anima *haec* non distinguitur numerice ab *illa*, nisi propria commensuratione substantiali ad hoc corpus.

Arg. 3.^{um} Demum si anima in corpore esset tamquam alienae domi vel in carcere, nullus homo tantopere abhorreret a morte; immo omnes interitum vehementer optarent, quippe per id a vinculis et a poena liberarentur, seseque in naturalem libertatem vindicarent.

PROPOSITIO II.

Nulla ratio asserri potest ad concludendum, animam intellectivam esse humano corpori infusam statim ac fetus incipit vitaliter operari. Contra admittenda est utpote ordini naturae congrua Philosophi sententia, quam S. Thomas amplectitur, nimirum in generatione animalis, et maxime hominis plures dari substantiales formas intermedias ordine quodam, ita ut fetus prius animetur anima vegetativa, dein sensitiva, et demum, his recedentibus, intellectiva.

Prob. 1.^a pars. Ratio huiusmodi si daretur, vel esset a priori vel a posteriori. Atqui neutrum iure affirmari potest. Ergo stat prima pars. Propositio minor sic demonstratur per partes. Tunc enim pro adversariorum sententia aliquid efficere, cum constaret, corpus humanum ante completam generationem non posse informari principio quodam vitali imperfectiori, et sic disponi ad formam perfectissimam, quae est anima rationalis. Verum hoc nequit probari; immo contrarium penitus suadet ex ordinario naturae cursu, quae ex actu imperfecto ad perfectum in suis operationibus progredi solet. Ergo. Neque Physiologorum experimenta quantumvis diuturna atque ingeniosa quidquam proficere valent; nam naturae periclitatio, et Physiologorum indagaciones ad summum eo extendi possunt, ut determinent tempus, quo fetus incipiat vitaliter operari; verum enim utrum illa vitalis operatio repetenda sit ab anima vegetativa, quae deinde cedat locum sensitivae, vel oriatur a forma nobiliori, quae virtute continet

formas inferiores, hoc patefieri per experientiam minime potest, cum id ad Physicam Rationalem, idest ad Naturalem Philosophiam scrutari pertineat. Quocirca meritissimo concludimus, ab adversariis nihil in medium afferri posse, quo eorum fulciatur opinatio.

Prob. 2.^a pars. Arg. 1.^{um} Supposita substantiali compositione in rebus corporatis, cum materia sit propter formam, illamque naturaliter appetat; materiae inclinatio seu appetitus ad omnes illas formas extenditur, ad quas ipsa est in potentia. Porro ordo naturae postulat, ut ad formas perfectiores materia non pertingat, nisi proxime apteque disponatur per formas minus perfectas. Ergo in generatione hominis materia humani corporis, priusquam informetur anima intellectiva, proxime disponi debet per formas intermedias, nimirum per animam vegetativam, et sensitivam. Siquidem natura, quae callido artificio in suis operibus molendis fabricandisque procedit, non operatur per saltum; sed omnia efficit gradatim et pedetentim, suo quodam itinere miroque ordine servato. Porro inter naturae opera principatum longe sibi vindicat homo. Ergo forma, quae hominem in sua specie collocat, excellentissima formarum omnium reliquarum sit oportet. Ita fiet ut materia nequeat esse subiectum ad illam congruenter dispositum ac proportionatum, nisi per plures formas intermedias perficiatur et quodammodo elevetur ad communionem naturae illius nobilissimae. Quare in mundo adspectabili ingem quamdam progressionem motumque conspicimus a corporibus minus perfectis ad perfectiora (1).

Occurritur difficultati. Pulcherrimam Philosophi politiorumque Scholasticorum doctrinam a nobis mox explicatam nonnulli recentes gloriose aggredduntur, ex eo quod in successivis illis generationibus fetus animatus anima vegetativa, vel sensitiva ad nullam viventium speciem pertinere censendus foret; cum nemo huiusmodi fetum audeat nominare vel plantam, vel animal brutum. Haec recentiorum in peripateticam doctrinam criminatio iamdudum explosa fuerat ab Angelico Doctore, qui acute distinxit inter formas rerum, quarum species utpote incompletae non intenduntur a natura, nisi ut via ad species completas, et formas rerum, quarum species utpote completae per se intenduntur. Primae nominari solent *transcentes*, ut animae vegetativae et sensitivae per quas progreditur embryo, donec hominis formam consequatur: aliae dicuntur *permanentes*, ut sunt formae alicuius plantae vel animalis, puta canis, vel leonis. Hanc doctrinam sic explicat Aquinas noster: « Non est inconveniens si aliquid intermedium generetur, et statim postmodum corrumpitur; quia intermedia non habent *speciem completam*, sed sunt ut via ad speciem; et ideo non generantur, ut permaneant, sed ut per ea ad ultimum

(1) Cf. S. THOM. *Contra gent.* lib. III, cap. XXII, ubi agit de progressionem et mutationibus corporum.

generatum perveniatur... Quanto ergo aliqua forma est nobilior, et magis distans a forma elementi; tanto oportet esse plures formas intermedias, quibus gradatim ad formam ultimam veniatur, et per consequens plures generationes medias; et ideo in generatione animalis et hominis, in quibus est forma perfectissima, sunt plurimae formae et generationes intermediae. Anima igitur vegetabilis, quae primo inest, cum embryo vivit vita plantae, corrumpitur, et succedit anima perfectior, quae est nutritiva et sensitiva simul, et tunc embryo vivit vita animalis: hac autem corrupta, succedit anima rationalis ab extrinseco immissa » (1).

Arg. 2.^{um} Quaelibet forma habet suum subiectum proportionatum, et materiam respondentem, cum quivis actus habeat suam propriam potentiam. Atqui anima rationalis est forma nobilissima. Ergo non potest apte uniri cuilibet corpori organico, sed solum corpori, quod ad congruum humani corporis organismum perductum sit.

Evol. arg. Anima generatim definitur: *Actus corporis physici organici cui communicat esse viventis*, ex quo diversa operationum vitalium principia dimanant; quare quo anima nobilior est, eo communicat corpori esse perfectius, ex quo plura resultant operationum vitae principia seu operandi virtutes; cum forma superior materiae tribuat quiddam inferior imperit, et aliquid amplius. Idcirco corpus, quod nobiliori actuatur forma, constare debet organismo magis elaborato, pluribusque organis ad maiorem operationum vitalium varietatem necessariis. Hinc corpus animalis conflatur partibus magis dissimilibus, et ad perfectiorem aequilibratam redactis, quam planta: multiplicatis quippe in eo operandi potentiis, et organa multiplicentur oportet; et si operatio perfectior est et a viribus materiae inorganicae magis remota, perfectiora requirit organa. Si ergo anima, quae materiae iungitur, perfectissima est inter formas substantiales, ut anima rationalis, dicendum profecto est, hanc animam plures nobilioresque virtutes impertire corpori, ideoque tali corpori esse copulandum, quod perfectissimum organismum sit consequutum. Exinde est quod humanum corpus multiplicitate, dissimilitudine, proportionis ac temperie partium reliqua viventium corpora longe anteverit, quemadmodum experientia observatioque cuilibet ostendit (2).

Hanc doctrinam sic iuxta placita Aristotelis eleganter complectitur S. Thomas: « Cum forma non sit propter materiam, sed potius materia propter formam, ex forma oportet rationem accipere, cur materia sit talis et non e converso. Anima intellectiva notitiam veritatis colligit ex sensibilibus per viam sensuum. Unde non solum habere

(1) *Contra gent.* lib. II, cap. LXXXIX.

(2) De mirabili humani corporis structura dignus est qui legatur CICERO, *De nat. Deorum*, lib. II, cap. LV et seq.

debut virtutem intelligendi, sed etiam virtutem sentiendi. Actio autem sensus non fit sine organo corporali, et omnes alii sensus fundantur super tactum. Ad organum tactus requiritur, quod sit medium inter contraria: unde quanto organum tactus fuerit magis reductum ad aequalitatem complexionis, tanto perceptibilior erit tactus. Anima autem intellectiva habet completissime virtutem sensitivam, quia quod est inferioris praexistit perfectius in superiori. Unde oportet, corpus cui unitur anima intellectiva, esse corpus mistum inter alia magis reductum ad aequalitatem complexionis; et propter hoc homo inter alia animalia melioris est tactus; et inter ipsos homines, qui sunt melioris tactus, sunt melioris intellectus, cuius signum est quod molles carne aptos mente videmus » (1).

Argumentum a nobis expositum ita affertur a Silvestro Mauro: Anima est actus corporis organici. Ergo non potest esse, nisi in corpore praedito organismo convenienti tali animae. Atqui embryo cum primum incipit vivere non habet organismum convenientem animae humanae. Ergo in embryone, cum incipit vivere, non datur anima rationalis, sed pure vegetativa (2).

SOLVUNTUR DIFFICULTATES.

Oppon. 1.^o Ad perfectionem mundi requiritur, ut principales eius partes ab eius exordio a Deo fuerint creatae. Atqui substantiae intellectuales, inter quas est anima rationalis, sunt principales mundi partes. Ergo animae rationales fuerunt ab exordio mundi.

Resp. Dist. mai. Ad perfectionem mundi requiritur, ut ab initio creatae fuerint principales eius partes, secundum speciem consideratae, *Conc.* Secundum numerum, *Neg. Contradist. min. et Neg. cons.*

Explico. Perfectio universi a Deo conditi sane requirit, ut praecipuae rerum species ab initio existerint; at non inde eruitur, ab ipso exordio condi debuisse omnia individua cuiuslibet speciei; secus in nulla specie possent generari, et multiplicari successu temporis nova individua, quod quotidianae experientiae refragatur. Quare dicendum est, essentialiam perfectionem universi coalescere ex differentiibus speciebus; accidentalem vero ex diversis individuis. Porro mundus a Deo conditus fuit perfectus quoad essentialia eius partes: « Dicendum, inquit Aquinas, quod essentialis universi perfectio consistit in speciebus, accidentalis vero in individuis. Cum ergo multiplicatio animalium non sit secundum diversam speciem, sed secundum numerum tantum, relinquatur quod per hoc quod multae animae quotidie

(1) 1 p. q. 76, a. 5; cf. *QQ. DD. De Anima*, a. 8.

(2) *Quaest. phil.* vol. III, q. 29.

creantur, nihil ad essentialiam mundi perfectionem adiungitur, sed ad accidentalem tantum, et hoc non est inconveniens » (1).

Oppon. 2.^o Si animae ab exordio mundi non existerint, Deus dicendus est adstare singulis generationibus ut minister; nam, perfecto corpore, animam creat. Atqui hoc dedecet supremum Dei dominium in omnes res. Ergo.

Resp. Dist. mai. Deus dicendus esset adstare ut minister, si generatio fieret extra ordinem ab ipso Deo in natura constitutum, *Conc.* Si fit iuxta ordinem a Deo ipso intentum, *Neg.*

Explico. Nullo pacto affirmari potest, dedecere divinum dominium, si id in mundo contingat, quod a Deo ab initio fuerit constitutum. Porro ordo naturae a Deo constitutus expostulat, ut homines numerice multiplicentur per continuas generationes, quae cum perfici nequeant, nisi forinsecus adveniat anima rationalis ab ipso creat, idem ordo requirit ut animae a Deo in sequuturis temporum differentiis creentur, cum corpora ad debitam dispositionem per generationem perducta fuerint. Ceterum difficultas torqueri posset contra adversarios; nam, supposita praeexistentia animarum, Deus deberet adesse generationibus, ut animas iampridem creatas corpori sociaret.

Eodem ferme pacto dissolvitur quorundam veterum difficultas, quam nostris temporibus renovavit Rationalista Reynaud, de quo meminimus. Aiunt enim, intelligi non posse successivam creationem animalium, quin simul Deus cogitetur adstare singulis etiam pravis generationibus. Argumentum illud, quod contra adversarios retorqueri potest, cum propter eandem rationem Deus non posset animas iam creatas copulare corporibus, iampridem fuerat a S. Thoma sic refutatum: « Dicendum quod in actione adulterorum illud, quod est naturae, bonum est, et huic cooperatur Deus. Quod vero est inordinatae voluptatis, malum est, et huic Deus non cooperatur » (2).

Oppon. 3.^o Anima rationalis convenit cum Angelis in natura. Atqui Angeli creati fuerunt ante naturam corporalem. Ergo.

Resp. Dist. mai. Anima convenit cum Angelis in eo quod habet naturam intellectualem, *Conc.* In eo quod habet per se speciem completam, *Neg. Conc. min. et Neg. cons.*

Explico. Solutio patet ex dictis, cum anima, licet sit intellectiva, praecise creetur in corpore, quia per se habet speciem incompletam, et non possit accipere complementum speciei, nisi sit corpori unita. Doctrina haec sic declaratur a S. Thoma: « Anima si per se speciem haberet, magis conveniret cum Angelis; sed in quantum est forma corporis pertinet ad genus animalium, ut formale principium » (3);

(1) 2 *Sent. Dist.* 17, q. 2, a. 2 ad 6.

(2) 1 p. q. 118, a. 2 ad 5.

(3) 1 p. q. 90, a. 4 ad 2.

et alibi: « Licet Angelus et anima conveniunt in natura intellectuali, differunt tamen in hoc, quod Angelus est quaedam natura in se completa; unde per se creari potuit; anima vero cum perfectionem suae naturae habeat in hoc, quod corpori unitur, debuit in corpore cuius est perfectio creari » (1).

Oppon. 4.^o Finis debet proportionari principio. Atqui anima remanet, corpore destructo. Ergo et incipere debuit ante corpus.

Resp. Dist. mai. Finis proportionatur principio, si utrumque pendet ab iisdem causis, *Conc. Secus, Neg. Conc. min. et Neg. cons.* Solutio intelligitur, si mente reputatur, animam fuisse creatam a Deo in statu perfecto, idest in complemento suae speciei, quod non habet extra corpus; attamen cum ipsa sit incorruptibilis et unita corpori corruptibili, sequitur, quod remaneat post corpus, et hoc ob defectum corporis, idest ob mortem; qui defectus in principio creationis animae esse non debuit. Audi Doctorem Anglicum: « Licet anima dependeat a corpore quantum ad sui principium, ut in perfectione suae naturae incipiat; tamen quantum ad sui finem non dependet a corpore, quia acquiritur sibi esse in corpore ut rei subsistenti: unde, destructo corpore, nihilominus manet in suo esse, licet non in completionem suae naturae, quam habet in unione ad corpus » (2).

Oppon. 5.^o Esse animae non mensuratur tempore. Atqui si ita est, non incipit quando anima unitur corpori. Ergo anima fuit ante corpus.

Resp. Dist. mai. Esse animae non mensuratur tempore secundum quod anima consideratur ut substantia spiritualis, *Conc.* Secundum quod anima unitur corpori, *Neg.* Siquidem esse animae potest in duplici differentia spectari, vel ut actus animae, vel prout communicatur corpori et actus compositum. In prima acceptione mensuratur aeo; in secunda mensuratur tempore (3).

ARTICULUS VIII.

DE SEDE ANIMAE HUMANAE.

QUAESTIO ADUMBRATUR. Quaestio haec, quae veteres philosophos vehementer torsit, et in infinitas pene distraxit sententias (4) perspicue ac luculenter soluta fuit ab Aristotele, qui docuit, animam

(1) *QQ. DD. De pot. q. 3, a. 10 ad 10.*

(2) *QQ. DD. De pot. q. 3, a. 10 ad 16; cf. I p. q. 90, a. 4 ad 3.*

(3) *Cf. S. THOM. De pot. loc. cit. ad 8.*

(4) De variis sententiis, cf. PLUTARCHUM, *De placitis philosophorum*, lib. IV, cap. V; TERTULLIANUM, *De Anima*, cap. XV.

intellectivam esse formam substantialem corporis organici, cui communicat esse, vivere, sentire, et aliquid amplius, illud elevando ad humanam speciem. Ex hoc rite deduxit, animam in toto corpore, quod vivificat, et in singulis eius partibus sedem habere; unde sicut totum corpus ab ea separatum, sic singulae eius partes, uti oculus, manus, caro et ossa, separatae dicuntur acquirere corpus humanum, vel partes humani corporis, sicut oculus lapideus vel pictus (1).

Hanc elegantem Philosophi doctrinam ultra amplexati sunt Ecclesiae Patres, Doctoresque Scholastici omnes, qui uno ore eam tradiderant uti necessarium consecrarium substantialis unionis animae cum corpore. Pro omnibus loquatur Aquinas, qui ita paucis rem perstringit: « Veritas huius quaestionis ex praecedentibus dependet. Ostensum est enim prius, quod anima unitur corpori non solum ut motor, sed ut forma. Posterius vero ostensum est, quod anima non praesupponit alias formas substantiales in materia, quae dent esse substantiale corpori aut partibus eius » (2).

Verum enim memorata doctrina, quam per tot saecula homines summa ingenii laude praestantes tuiti sunt, iterum in recenti aetate obscurata fuit a novatae philosophiae sectatoribus. Hi quippe substantialem corporum compositionem vel aspernati vel inficiati, essentialem immediatamque unionem animae cum corpore vel diserte negarunt, vel ore verboque tenuis professi sunt. Quocirca factum est, ut circa sedem ac locum, quem anima in corpore occupat, veterum deliramenta iamdudum obsoleta in lucem iterum revocaverint, novisque Materialistis latam aperuerint viam. Animam quippe uni vel alteri parti corporis, prout cuiusque opinandi licentia ferebat, afflixam commenti sunt. Sic, ut de aliis taceamus, Renatus Cartesius animam collocat in glandula pineali, quae in superiori parte cerebri sita est; et cum reliquae cerebri partes duplices ac compositae sint, ipsa tamen una et simplex manifestatur. Contra Mallebranchius eius discipulus animae domicilium in cerebro constituendum ratus est. Quae cum ita habeant, posthabitis his sententiis, quae vel a larvato quodam materialismo ortum habent, vel ad materialismum recta ducunt, sententiam Aristotelico-Scholasticam, quae tenet, animam esse totam in toto corpore, quod informat, pro virili propugnabimus, postquam diversae conceptus a nobis determinati sint.

Diversa ratio essendi in loco. Res aliqua, si diversae naturae spectantur, tripliciter potest in loco existere. 1) *Circumscriptive*, quando ita locum occupat, ut per diversas suae substantiae partes totidem loci partibus respondeat, ideoque loco dicitur commensurata. Res quae ita loco continetur, dicitur esse in loco *localiter*; et haec

(1) *Cf. ARIST. De Anima*, lib. II, text. 9.

(2) *QQ. DD. De spirit. creaturis*, a. 4.

praesentia competit solis corporibus. 2) *Definitive et non localiter*, cum est tota in toto loco, et tota in qualibet loci parte, nec tamen alibi reperitur, seu extra hunc locum: haec praesentia competit spiritibus creatis. 3) *Repletive*, cum tota sic occupat totum locum et omnes loci partes, ut illo non definiatur, sed ad omnia loca extendatur: haec praesentia competit Deo ratione suae immensitatis (1).

Diversa ratio totius. Cum totum dicatur per ordinem ad partes quas complectitur vel excludit, ideoque totalitas compositionis, et simplicitatis, consequitur, totum esse diversum secundum diversam rationem partium. Porro triplex distinguenda est totalitas, nimirum: *quantitativa, essentialis, et virtualis seu potestativa*. Prima est secundum quam totum dicitur quantum, quod natum est dividi in partes quantitates; et haec totalitas solummodo tribui potest *per accidens* quibusdam formis, nempe illis, quae coextenduntur quantitati, atque ita per accidens dividuntur divisione quantitatibus, sicut albedo divisione superficiei. Hoc generatim illis formis competit, quae habent materiam similem in toto et in partibus; ideoque habitudinem indifferentem et eandem sibi vindicant et ad totum, et ad partes. Haec totalitas animae humanae nequit competere, cum ipsa sit forma perfectissima, quae postulat in suo perfectibili magnam partium dissimilitudinem, et miram organorum varietatem. Secunda totalitas spectatur penes perfectionem essentiae et speciei, et ipsi respondent partes essentielles; vel *intentionales* ut genus et differentia; vel *reales* ut materia et forma. Tertia totalitas est secundum virtutem et potestatem, cui respondent partes potestatis et virtutis, uti totum concretum ex variis animae potentiis. Quare, semota ab anima totalitate quantitativa, cum neque per se neque per accidens dividi valeat, quaestio agitari potest de totalitate essentiae et virtutis.

Sensus quaestionis. Quomodo intelligi possit, animam esse totam in toto corpore, et totam in singulis corporis partibus, in promptu cuique erit, si quaedam prae oculis habeantur. Et primo quidem ultro fateamur, nos non posse hoc intelligere directe et conceptu proprio; cum enim intellectus hominis naturas spirituales non intelligat, nisi per species a rebus materialibus acceptas, consequitur, neque earum substantias, neque earum passiones et accidentia ipsum posse cognoscere, nisi per quamdam analogiam, quam habent cum rebus corporatis, removendo tamen a rebus spiritualibus imperfectiones illas, quae in corporibus reperiuntur praecise quia sunt substantiae corporales. Porro si corpus, naturaliter loquendo, non potest esse in loco nisi localiter, idest commensurando suas partes partibus loci, hoc in eo ortum habet a quantitate dimensiva, quae reperiri in anima nullo pacto potest. Quocirca ratiocinando concludimus ac intelligimus, animam esse in

(1) De ratione essendi in loco cf. quae diximus, *Com.* pag. 96.

toto corpore et in singulis partibus corporis, et non esse corpori commensuratum, cum id eius spiritualitati repugnet, neque corpus tangere contactu molis, cum sit expertus omnis extensionis, sed corpori adesse per simplicem essentiam et per contactum virtutis. Haec tangendi ratio non dimetienda est per unum vel plura loca quantitate differentia; sed in uno vel pluribus locis aliquid dicitur esse, prout ad ea virtus eius porrigitur. Uti enim notat S. Thomas: « Secundum quod virtus sua se potest extendere ad unam vel multa, ad parvum vel magnum, secundum hoc est in uno vel pluribus locis, et in loco parvo vel magno » (1).

Insuper animae simplicitas non est confundenda cum illa simplicitate, quae propria est partis vel puncti in continuo. Siquidem pars continui cum positionem habeat, si praesens est huic loco, non potest esse praesens alteri; verum cum anima sit extra omne continui genus, eius simplicitas est per modum totius excludentis partes, quibuscumque valeat ad loca extendi. « Simplicitas animae et Angeli, ait Aquinas, non est existimanda ad modum simplicitatis puncti, quod habet determinatum situm in continuo, et ideo quod simplex est, non potest esse in diversis partibus continui. Sed Angelus et anima dicuntur simplicia per hoc quod omnino carent quantitate, et ideo non applicantur ad continuum, nisi per contactum virtutis: unde totum illud, quod virtute Angeli contingitur, respondet Angelo, qui non unitur ut forma, ut locus eius: et animae quae unitur ut forma, ut perfectibile unum; et sicut Angelus est in qualibet parte sui loci totus, sic anima in qualibet sui perfectibilis tota » (2).

PROPOSITIO.

Anima humana est tota in toto corpore, et tota in singulis eius partibus totalitate perfectionis et essentiae, non autem totalitate virtutis. Eius quippe agendi virtus non est tota in aliqua parte nec tota in toto corpore, licet principaliter resideat in cerebro et in corde (3).

Prob. 1.^a pars. Arg. 1.^{um} Anima intellectiva est forma substantialis corporis, cui per essentiam immediate unitur, idest actus corporis organici, cui communicat esse et speciem. Atqui quilibet actus est in suo proportionato et proprio perfectibili. Ergo anima quae per essentiam et immediate communicat esse et speciem integro cor-

(1) 1 p. q. 8, a. 2 ad 2.

(2) *QQ. DD. De Anima*, a. 10 ad 18.

(3) De hac re cf. S. THOM. 1 p. q. 76, a. 8; *QQ. DD. De Anima*, a. 10; *De spiritali creaturis*, a. 4; *Contra gent.* lib. II, cap. LXXII; cf. etiam TOLETUM, *De Anima*, lib. II, q. 4.

pori, est per essentiam in toto corpore et in singulis eius partibus, tamquam in proprio subiecto et proportionato perfectibili.

Evol. arg. Ut propositae rationis efficacia intelligatur, advertendum est cum S. Thoma, esse proprium formae substantialis impertire perfectionem toti, et singulis partibus; verum ad totum comparatur primo et per se, ad partes autem per posterius, et secundum quod habent ordinem ad totum. « Si enim, ait Angelicus, esset forma totius et non partium, non esset forma substantialis talis corporis; sicut forma domus, quae est forma totius, et non singularum partium, est forma accidentalis » (1). Cum ergo anima perfectionem singulis partibus largiatur, ipsis adesse dicenda est; nam nihil recipit speciem ab aliquo separato tamquam a forma, quum forma sit aliquid eius cui dat esse.

Arg. 2.^{um} ducitur ex unitate entis in homine. Siquidem si anima esset per essentiam separata ab aliqua parte corporis, profecto pars illa non reciperet perfectionem ab anima, sed ab alia forma. Porro, multiplicatis formis, homo non esset unum per se, sed dumtaxat per accidens, idest compositione. Ergo, ad tutandam substantialem unitatem in homine, fatendum est, omnes partes humani corporis esse immediate unitas animae, a qua perfectionem speciei recipiunt; quod eo recidit ut dicamus, animam esse in toto corpore et in singulis eius partibus. Uti enim arguit Aquinas: « Corpus organicum est constitutum ex diversis organis. Si ergo anima esset in una parte tantum ut forma, non esset actus corporis organici, sed actus unius organi tantum, puta cordis... et reliquae partes essent perfectae per alias formas, et sic totum non esset unum quid naturaliter, sed compositione tantum » (2).

Arg. 3.^{um} Anima cum sit actus corporis organici potentia vitam habentis vivificat corpus ipsi largiendo vitam et operationes vitales. Atqui tum integrum corpus, tum singulae eius partes recipiunt ab anima vitam in actu primo et in actu secundo. Ergo anima praesens est et integro corpori, et singulis eius partibus per suam essentiam per quam illud vivificat. Siquidem, separata anima a corpore, totum corpus et singulae eius partes vita et sensu spoliantur, et nulla corporis pars retinet propriam operationem speciei, quam sane retineret, si illam non accepisset ab anima. Verum enim hoc in loco adnotandum iterum venit, animam, impertiendo integro corpori esse substantiale et specificum, aliter se habere ad totum corpus, et aliter ad eius partes. Nam totius corporis est actus primo et per se; partium autem est actus secundario et in ordine ad totum.

Hoc ita enucleatur: cum materia sit propter formam, talis esse debet materia, qualis conveniens est formae. Sed inter formas im-

(1) *Contra gent.* lib. II, cap. LXXII, n. 1.

(2) *QQ. DD. De Anima*, a. 10.

perfectiores et animam hoc interest, quod formae imperfectiores, quae sunt debilioris virtutis, habent paucas operationes, ad quas non requiritur partium dissimilitudo; anima e contrario cum sit altioris et praestantioris virtutis potest esse principium diversarum operationum, ad quarum executionem requiruntur dissimiles partes corporis. Idcirco omnis anima requirit diversitatem organorum in partibus corporis cuius est actus, et tanto maiorem diversitatem, quanto anima fuerit excellentior. Sic formae inferiores uniformiter perficiunt suam materiam; sed anima difformiter, ut ex dissimilibus partibus constituatur integritas corporis, cuius primo et per se anima est actus (1).

Quod autem anima sit *tota* in toto corpore et *tota* in singulis eius partibus totalitate perfectionis et essentiae, nullum esse potest dubium consideranti, essentiam animae esse simplicem et spirituales, ideoque ubique est non potest nisi tota adesse. Hoc evidenter apparebit, si quis diligenter consideret, totalitatem essentiae et perfectionis propriae et per se competere etiam formis imperfectioribus. « Si quaereretur, inquit Aquinas, de albedine, utrum esset tota in tota superficie, et in qualibet eius parte, distinguere oporteret; quia si fiat mentio de totalitate quantitativa, quam habet albedo per accidentia, non tota esset in qualibet parte superficiei... Sed si fiat mentio de totalitate speciei et essentiae, tota albedo est in qualibet superficiei parte » (2). « Si igitur est aliqua forma quae non dividatur divisione subiecti, non erit opus distinctione, cum ipsi non competat nisi una totalitas; sed absolute dicendum est, eam totam esse in qualibet corporis parte » (3).

Prob. 2.^a pars. Anima cum sit forma spiritualis et subsistens materiae capacitatem longe supergrediens, quasdam virtutes corpori minime valet communicare, uti intelligere et velle; cumque sit forma omnium perfectissima, recipitur in corpore multiplicibus organis instructo, quibus diversas operationes vitae tum vegetativae tum sensitivae exercere valeat, ideoque diversis organis diversas impertit virtutes. Quocirca anima secundum totalitatem virtutis non est tota in toto corpore, cum quasdam virtutes corpori non largiatur; quasdam vero ita corpori communicet, ut singulae singulis respondeant organis corporalibus, et sic videt oculo, audit auro, et est secundum visum in oculis, et secundum auditum in auribus. In summa animae virtutes bifariam discriminantur; aliae sunt spirituales et separatae a materia, aliae sunt receptae in organis, et huiusmodi virtutes sunt omnes in toto corpore, non vero omnes in qualibet parte.

Utramque propositionis partem sic dilucide complexus est S. Thomas: « Dicimus ergo, quod cum perfectio speciei pertineat ad ani-

(1) Cf. S. Thom. *QQ. DD. De spiritali creaturis*, a. 4.

(2) *I p.* q. 76, a. 8.

(3) *Contra gent.* lib. II, cap. LXXII.

nam secundum suam essentiam; anima secundum suam essentiam est forma corporis, et prout est forma corporis est in qualibet parte corporis... secundum totalitatem perfectionis speciei. Si autem accipiatur totalitas quantum ad virtutem et potestatem, sic non est tota in qualibet parte corporis, nec etiam *tota in toto*, si loquamur de anima hominis. Ostensum est enim quod anima humana, quae excedit corporis capacitatem, remanet ei virtus ad operandum operationes quasdam sine communicatione corporis, sicut intelligere et velle... sed quantum ad alias operationes, quas exercet per organa corporalia, tota virtus et potestas eius est in toto corpore, non autem in qualibet parte corporis, quia diversae partes corporis sunt proportionatae ad diversas operationes animae. Unde secundum illam potentiam tantum est in aliqua parte, quae respicit operationem, quae per illam partem corporis exercetur » (1).

Prob. 3.^a pars, nimirum animam secundum virtutem, quam impertit corpori, praecipue residere in cerebro et in corde. Siquidem cerebrum atque cor sunt organa praestantiora functionum vitalium. Iam vero principium vitae sua virtute principalis residet ubi organa vitae suppetunt principaliora. Ergo anima secundum virtutem organicam praecipue residet in cerebro et in corde. Cerebrum quippe est praecipuum organum vitae sensitivae; cum quaelibet sensatio in singulis sensibus perfecta, sensu communi attingatur, ab alia discernatur, et quodammodo diiudicetur. Organum vero sensus communis seu intimi est cerebrum, quod item est organum phantasiae, aestimativae, memorativae, et locomotivae; hinc Aristoteles docet, animalia vi locomotiva seu motu progressivo pollentia perfectam phantasiam sibi necessario vindicare (2).

Cor est principale organum vitae vegetativae, nam praecipuae functiones istius vitae in homine dependent a corde, uti ex Physiologorum experimentis abunde colligitur. Est insuper primum principium seu principale instrumentum motus in animali. Uti enim ait S. Thomas: « Proximum motuum corporis in nobis est appetitus sensitivus. Unde semper actus appetitus sensitivi concomitatur aliqua transmutatio corporis et maxime circa cor, quod est primum principium motus in animali » (3).

Scholion. Ex superius disputatis cuilibet non hebeti apparet vanitas illorum philosophorum sive veterum ante Aristotelem, sive recentiorum post eversam a Cartesio Christianam philosophiam, qui cuidam determinatae corporis parti plus minusve nobili animam affixam somniantur. Omnes istae opiniones vel a materialismo ortae, vel

(1) QQ. DD. De Anima, a. 10.

(2) Cf. S. THOM. De Anima, lib. II, lect. 16.

(3) I p. q. 20, a. 2 ad 1; cf. De Anima, lib. III, lect. 15.

ad materialismum ducentes, de anima disserunt perinde ac vel ipsa esset aliqua corporis particula subtilis ac simplex simplicitate illa, quam atomis vel punctis concedunt, ex quibus corpora coagmentari imaginantur; vel si substantiam spirituales esse tuerentur, et extra omne continuum genus collocatam, eam corpori non coniungi tamquam formam et actum substantialem defendunt, Platonis commentum renovantes, qui docebat, animam uniri corpori ut motorem mobili. Quocirca negant, ipsam sentire in singulis organis, quibus peculiaris quaedam virtus communicata est, sed in cerebro, vel in aliqua parte indivisibili cerebri, ad quam per nervos corporum externorum motiones deferuntur. Hinc homines acuti decernunt, esse vulgarem opinionem ab infantiae praepiudiciis enatam, quod calor sentiat in manu, si ad ignem ipsa admovetur, frigescente capite et cerebro, et quod dolor sentiat in brachio vel in pede, si aliquid huiusmodi membrum laedatur.

Huiusmodi post hominum memoriam absurdissimam sententiam ipse Lucretius duobus capit argumentis, nimirum: si oculi essent tantum fores seu media ad sentiendum *insensibilia*, explicari non posset, cur ipsi tantum laborem suscipiant a fulgentibus corporibus, et cur, oculis avulsis, ipsa anima non melius perfectiusque res cernat (1).

Nos hoc dilemmate adversarios arguimus. Si anima non est unita integro corpori, sed solum cuidam parti, vel haec pars fingitur extensa vel inextensa. Si primum; ergo anima simplex potest uniri diversis corporis partibus, cum omne extensum partes integrantes habeat; et sic ruit fundamentum adversariorum asserentium, repugnare praesentiam substantiae simplicis pluribus loci partibus. Si secundum; respondemus non dari in corpore partes simplices seu puncta indivisibilia; nam continuum non potest conflari ex punctis indivisibilibus.

SOLVUNTUR DIFFICULTATES.

Oppon. 1.^o Si anima esset in singulis partibus corporis, cum una pars corporis movetur altera quiescente, anima simul moveretur, et quiesceret. Atqui impossibile est, idem simul moveri et quiescere. Ergo anima non est in singulis partibus.

Resp. *Dist. mai.* Anima simul moveretur et quiesceret per accidens, *Conc.* Per se, *Neg. Contradist. min.* et *Neg. cons.*

(1) Dicere porro, oculos nullam rem cernere posse;— Sed per eos animum ut foribus spectare reclusis;— Desipere est, contra cum sensus dicat eorum;— Sensum enim trahit atque acies detradit ad ipsas;— Fulgida praesertim cum cernere saepe nequimus;— Lumina luminibus quia nobis praepediuntur;— Quod foribus non fit; neque enim qua cernimus ipsi;— Ostia suscipiunt ullum reclusa laborem;— Praeterea si pro foribus sunt lumina nostra;— Iam magis exemptis oculis debere videtur;— Cernere res animum, sublatiis partibus ipsis. *De nat. rerum*, lib. III, v. 360 et seq.

Explico. Cum in difficultate agatur de motu proprie dicto, nimirum de motu locali, manifestum est, animam non moveri localiter per se, cum hic motus per se non conveniat, nisi corporibus; sed solum moveri per accidens, nempe ad motum corporis, vel partium eius, quibus unitur ut forma substantialis. Porro repugnat, corpus aliquod, quod per se movetur localiter, simul moveri et quiescere; verum minime repugnat, animam informantem varias corporis partes simul moveri per accidens ad motum unius partis, et quiescere ad requietem alterius partis quiescentis (1).

Oppon. 2.^o Si anima esset tota in singulis partibus corporis tamquam actus substantialis, ex qualibet corporis parte et anima fieret animal. Atqui animal coalescit ex anima et ex toto corpore organico. Ergo anima non est tota in singulis partibus.

Resp. Dist. mai. Si anima esset in singulis partibus corporis primo et per se tamquam in suo proportionato perfectibili, ex qualibet parte et anima fieret animal, *Conc.* Si est in singulis partibus per posterius et in ordine ad totum, *Neg. Conc. min. et Neg. cons.*

Explico. Anima definitur: *Actus corporis physici organici*; ideoque proprium subiectum seu primum et proportionatum perfectibile eius est corpus organicum compositum ex pluribus dissimilibusque organis secundum multiplicem potentiam seu virtutem, quam anima largitur corpori. Quare singulae partes vel diversa organa non ununtur animae, nisi secundario et quia totum corpus unitur: hinc ex ipsis et anima non resultat animal, sed pars animalis, quae, si separatur a toto, non est amplius pars animalis, uti manus separata, quae dicitur solummodo aequivoce manus.

Oppon. 3.^o Potentiae animae sunt eius proprietates et accidentia. Atqui accidentia et proprietates sunt, ubi est subiectum. Ergo, si anima est in singulis partibus corporis, ibi erunt etiam omnes potentiae; et sic visus erit in aure et auditus in oculo, quod est absurdum.

Resp. Dist. mai. Potentiae sunt proprietates animae, quae sunt in anima tamquam in radice, *Conc.* In anima tamquam in subiecto, *Subdist.* Illae quarum operationes anima exercet non per organum corporis, ideoque sunt animae secundum quod excedit corpus, iterum *Conc.* Omnes, *Neg.*

Explico. Sicut a nobis alibi explicatum fuit, virtutes animae aliae sunt immateriales et separatae ab organis corporeis; et harum proprium est procedere ab anima, et in anima recipi tamquam in subiecto: aliae ex adverso sunt organicae, sive actus organorum; et harum proprium est dimanare ab anima, sed recipi in organo animato tamquam in proprio subiecto. Cum autem quaevis potentia habeat suum proportionatum organum, hinc fit ut, licet anima sit tota in aliqua parte se-

(1) Cf. S. ТИОМ. *QQ. DD. De spir. creaturis*, a. 4 ad 7.

cundum essentiam, non resideat in illa eadem parte secundum omnes virtutes, sed secundum visum sit in oculo, secundum gustatum in palato, et secundum auditum in aure (1).

Oppon. 4.^o Anima est in corpore organico cuius est actus. Atqui qualibet pars corporis non est corpus organicum. Ergo non est in singulis partibus.

Resp. Dist. mai. Anima est in corpore organico tamquam in primo suo perfectibili, ita ut per posterius et in ordine ad totum sit etiam in partibus, *Conc.* Est in corpore organico, ita ut nullo modo sit in aliqua eius parte, *Neg. Conc. min. et Neg. cons.*

Oppon. 5.^o Si anima est in qualibet parte corporis, ablata aliqua parte, vel auferatur anima, vel transferatur ad alias partes. Atqui utrumque est dictum absurdum. Ergo.

Resp. Neg. mai. Addendo tertium membrum, nimirum quod illa pars desinit perfici ab anima, quae est forma totius, quin anima auferatur vel transferatur.

Oppon. 6.^o Maior est differentia inter carnem et ossa unius hominis, quam inter duas carnes duorum hominum. Atqui eadem anima non potest esse in duobus corporibus. Ergo non potest esse in diversis partibus unius hominis.

Resp. Dist. mai. Maior est differentia secundum speciem, *Conc.* Secundum analogiam ad totum, idest secundum quod diversae partes ordinari possunt ad unum totum constituendum, *Neg.*

Explico. Cum anima sit forma perfectissima multiplici virtute pollens, eget corpore diversis organis praedito tamquam proportionato subiecto et perfectibili. Quare diversitas partium in eodem corpore non solum non impedit, quominus unica anima informetur, sed est omnino necessaria, dummodo partes a natura ordinatae sint ad unum corpus perficiendum, quod per sua organa sit subiectum aptum potentiarum tam differentium. Verum duae carnes duorum hominum, licet magis conveniant in specie carnis, non possunt coalescere simul ad constituendum unicum corpus diversis organis ornatum, ideoque nequeunt informari eadem anima rationali, quae insuper non potest esse actus partium separatarum.

Oppon. 7.^o Si anima unitur singulis partibus per essentiam, illis impertire deberet esse uniforme, cum sit forma simplex. Atqui singulae partes organici corporis non habent esse uniforme. Ergo anima non unitur per essentiam singulis partibus corporis.

Resp. Dist. mai. Deberet tribuere esse uniforme singulis partibus, si haec unio non esset naturaliter ordinata ad constituendum compositum multiplici diversaque virtute pollens, *Conc.* Posito hoc fine a natura intento, *Neg. Conc. min. et Neg. cons.*

(1) Cf. S. ТИОМ. *De spir. creat.* a. 4 ad 3.

Explico. Ut solutio plenius intelligatur, non erit inutile huc transferre ipsa verba S. Thomae doctrinam hanc sic enodantis: « Anima quamvis est forma simplex in essentia, habet tamen virtutem ad diversas operationes; et quia naturaliter dat esse et speciem suo perfectibili in quantum est forma corporis secundum essentiam; ea autem quae sunt naturaliter, sunt propter finem: oportet quod anima constituat in corpore diversitatem partium, prout congruit diversis operationibus; et verum est, quod propter huiusmodi diversitatem, cuius ratio est ex fine, et non ex forma tantum, in constitutione viventium magis apparet quod natura operetur propter finem, quam in aliis rebus naturalibus, in quibus una forma perficit uniformiter suum perfectibile » (1).

Oppon. 8.º Anima ibi solum residet, ubi sensationes exercet. Atqui exercet sensationes in solo cerebro. Ergo est in solo cerebro. Minor patet experimentis Boerhaavi et Halleri, ex quibus constat, aboleri sensationem, discussa, compressa, putrefacta medulla cerebri, vel intercisio nervi inter sensorium et cerebrum.

Resp. Dist. mai. Anima solum residet secundum virtutem sentiendi, ubi exercet sensationes, *Conc.* Secundum essentiam et alias virtutes, quas tribuit corpori, *Neg.* et *Neg. min.* Ad rationem ex experientia ductam respondemus, causam cur intercisio nervi, vel compressa cerebri medulla cessat sensatio, non esse eam, quam obtrudunt isti Physiologi, nimirum quia sensatio exercetur solum in cerebro; sed quia ad sensationes in singulis sensibus habendas requiritur apta dispositio et harmonia totius organismi sensitivi, et eius communicatio cum centro et principali organo vitae sensitivae, quod est cerebrum. Si quando haec apta dispositio cessat per putrefactionem et compressionem medullae cerebri vel ob caesione[m] nervorum, sensatio cessat in singulis sensoriis. Quemadmodum, laeso corde, actiones vegetativae, quae in aliis organis etiam exercebantur, in ipsis vel perturbantur, vel totaliter cessant. Ceterum si ex eo quod, cerebro corrupto, cessat sensatio, colligunt, sensationem fieri in cerebro: eodem iure nos possumus argumentari, et ex eo quod, corrupto oculo, cessat visio, deducemus, visionem fieri in oculo, sicut sensus naturae communis testatur, et omnes homines sanae mentis fatentur, qui nec iocando dicent, frigus sentiri in capite, si manu nivem attractant.

(1) QQ. DD. De Anima, a. 10 ad 17.

ARTICULUS IX.

UTRUM PARTES LIQUIDAE CORPORIS ET MAXIME SANGUIS
INFORMENTUR ANIMA HUMANA.

STATUS QUAESTIONIS DEFINITUR. Cum anima rationalis sit forma substantialis corporis humani tribuens ipsi esse et unitatem, ita ut homo constans ex anima et corpore sit ens simpliciter unum; sponte occurrit dubitatio, utrum omnes partes humani corporis informantur anima rationali ad efficiendum unum continuum heterogeneum, vel sint aliquot partes sive ad corporis ornatum sive ad necessitatem pertinentes, quae non informantur anima, ideoque non efficiunt cum reliquo corpore unicam substantiam, sed ad summum, cum ad alimentum et nutritionem corporis humani ordinentur, sunt solummodo in potentia ad hoc ut anima rationali informantur. Quaestio huiusmodi potissimum agitur de sanguine, propterea quod in Christo unicus fuit immediate Personae Verbi, ideoque videtur ad unitatem naturae humanae omnino pertinere et esse informatum actu ab anima rationali. Ut autem de hac litigiosa quaestione, quae philosophos et theologos in diversas et admodum oppositas distraxit sententias, quidpiam delibemus, inter varias humanae naturae partes nobis sedulo est distinguendum.

Diversae partes in homine. Diversa ratio partium consideranda est in homine. Aliae quippe sunt essentiales, ut forma et materia, seu anima et corpus: aliae sunt integrantes, ut varia corporis membra. Porro integrantes iterum bipartitam habent divisionem, cum discriminentur in primarias, et secundarias.

Primi generis sunt caro, ossa, nervi, cartilagineae, membranae, et generantur partes illae, quae, licet dissimillimae inter se, informantur eadem forma substantiali, videlicet anima rationali, a qua accipiunt ut sint ens per se unum, seu unicum individuum naturae vel speciei humanae, cum forma substantialis sit principium intrinsecum essendi simpliciter, et unitatis: unum quippe consequitur ens. Quare partes huiusmodi dicuntur pertinere ad veritatem naturae humanae, nimirum ad speciem humanam, in qua consistit veritas humanae naturae; et cum species non tribuatur nisi individuo et subsistenti completo, quod est ens simpliciter et per se unum, inde sequitur, partes has necessario debere esse unica forma substantiali actuatam, ideoque esse animatas et viventes. Unde quaerere, an aliquid, puta alimentum, convertatur in veritatem naturae humanae, eodem recidit ac si quaeratur, utrum alimentum, quod erat in potentia plus minusve remota, corpus humanum ita transmutetur per vires nutritivas, ut informetur eadem